Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1975

Quelle:
Copyright:

neum Monachorum. Praemittitur carmen breve Aſclepiadeum *ad Emptorem*, et Jambicum *ad Furem.* Initium e mente *Copernici* eſt:

Phoebe ſator lucis, mundique immobile lumen,
Terræ qui rapidum reuolutæ conſpicis orbem &c.

nec ſpernenda Poetae vena, niſi tantum limi veheret. Quarum is partium fuerit, difficile ſtatuas, ut enim Monaſticen omnibus conviciis proſcindat, Pontificemque inſuper habeat, *Petrum* tamen *de Soto* O. P. qui *Carolo* V. conſcientiae arbiter fuit, *magna pietate Virum* adpellat, dumque Principibus autor ſit, ut Monachos contra Turcas mitterent, aut remigare, aut cum feris certare juberent, ita de *Ferdinando* I. canit:

Tu Fernande pater patriæ, Rex inclyte, regno,
Æternæ triplex quod dat tibi Conditor arcis,
Qui digne faſces validos, molemque Quirini
Suſcipis Imperij, magnos et fratris honores,
Conſilijs accede bonis.

Ita et alios Principes catholicos reverenter habet; ſummis tamen elogiis *Maximilianum* II. tunc Regem *Boh.* tollit. Accedunt ſub finem: *Canticum Autoris* ſapphicum, *Author ad Poetas* phalaecio, *Ad Bibliopolam* jambo dimetro, *Ad Typographum* ſenario et dimetro. En, quos contribules excitet:

Si quid forte tibi vacet Stigeli (Joh.)
Jennenſis ſtudii Poeta magne,
Aut fortaſſe tibi Sabine (Georg.) *Vates*
Qui Muſas Oderae colis benignas
Francforti, aut tibi Fabrici (Paul.) *Viennæ*, &c.

In terris *Auſtriacis* illum ſcripſiſſe multa ſuadent, accenſendum item Factioni illi, de qua *Greg. Pontanus* Cancell. Elect. *Sax.* in Epiſtola apud Ill. *Seckendorfium* L. III. Sect. 7. §. 68. p. 198. *Populus ille poeticus pietate caret, et diſciplinam averſatur.*

DVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 86. eſt aliud ejusdem *Balnei Monachorum* Exemplar elegantius ſcriptum, a quo tamen abſunt omnia Παρεγγα. 634

DVII.